

1700. X, 5-37 — Respostas de el-rei D. Manuel I para el-rei de Castela a respeito da ordem do *vellus aureum* que lhe enviara. Almeirim, 1518. — *Papel. Bom estado.*

Serenissimo ac potentissimo et catholico principi fratri et consanguineo cognatoque charissimo Emanuel Dei gratia rex Portugallie et Algarbiorum citra ultraque mare in Africa dominus Guinee et expeditionis navigationis ac commercii Aethiopiae Arabiae Persidis atque Indie S. P. D. et continuum mutui fraternique amoris augmentum.

Cum ex vestre M literis tum ex egregii nobilisque viri Joannis baronis de Trazegnies et de Cilly Ordinis Velleris Aurei militis vestrique consiliarii et camerarii atque et Aragonis feccialis vestri quibus res ipsa credita est fidelissimo telatu sane accepimus in generali capitulo quod in Bruccellensi oppido celebratum est nos in vestrum Velleris Aurei nobilissimum ordinem preclarumque comilitium (cujus celsitudo V. caput extat et supremus) communi consensu ascitos esse simulque aureum torquem militie ipsius insigne vestro nomine optulerunt quod munus et si nobis ordinis commilitonumque excellentiam gratissimum est longe tamen gratius ac jucundius quod vestrum quod animi sinceritate profectum quod veris benivolentiae amorisque nexibus complicatum et (quod munus ipsum maxime exornat) quod baroni de Trazegnies ad nos perferendum commiserit viro quidem summis virtutibus summa excellentia predito ac de ipso ordine et militia optime merito.

Quare tam hoc libenter amplectimur oblatum quam penitet non ultro etiam a Vestra Majestate prius exorasse cum ad maximoque

inter nos et sanguinis et amicitie jura indies coalescunt hoc etiam vinculum nexusque accedat quo velut herculeo nodo invicem juncti tenacius copulentur.

Itaque gratias ob id Vestrae Majestati non modo habemus maximas sed nos etiam ac nostra omnia ex animo offerimus re ipsa ubicunque opus fuerit haud dubie prestaturi.

Felix diuque valeat Vestra Serenitas cujus optimis votis pientissimus Deus annuere dignetur.

Datum in oppido nostro Almerino quinto idus Decembris anno Natalis Dominici MDXVIII.

*No verso:* Respostas para el rei de Castela Carlos sobre ha Ordem do Vellus Aureum que lhe enviou.

(R. S. C.)